

P R Æ F A T I O.

Marte hostes illos veritatis aggrediendos ac refutandos esse censui. Vnde factum, vt quæ pridem inexplicabiles tricæ appauerant, paulo post futiles argutiæ esse depræhenderentur. Auidè autem à studiosis exceptæ fuerunt prælectiones, ac in multa exēplaria transcriptæ: quibus cum plurimi se non mediocriter iuuari sensissent, amici tandem variis ex locis, vt integrum Commentarium publico bono darem, neque Ecclesiæ diutius inuiderem, hortatores mihi fuerunt, editionemque extorserunt.

Quod verò sub vestri nominis patrociniò, viri Magnifici atq; Amplissimi, ego homo ignotus lucubrationem meam prodire volui, si temeritati affine videbitur, Apostoli me sublevabit exemplum. Scripsit is ad Romanos, quorum faciem nondum viderat, vt plerisq; videtur: fidem tamen toto Orbe celebratam nō ignorabat. Ita si ego ignotus vobis, non vtique ignota mihi præclara virtus, excellens prudentia, singularis pietas vestra, qua Rempubl. & ciuitatem vestram à maiorib. vobis relictam ex angusta amplissimam, ex tenui opulentissimam, ex obscura celeberrimam florentissimamq; vereq; quod de Roma ille gloriabatur, ex lateritia marmoream fecistis. Rarum Plutoni cū Pallade est cōmercium: libenter enim stultitiam patiuntur opes. Vos Gymnasium literarium munifico sumtu sustentatis, Ecclesiæ & Reipubl. seminarium fœcundissimum, vnde quasi ex Athenis Balthicis iuuenes & viri doctrina & pietate ornatissimi ad Academiæ Germaniæ magno numero hætenus egressi sunt. Illud majus, quod ex quo semel excusso Antichristi Romani iugo libertatem Christi conscientis vestris vindicastis, pulsissq; Papatus tenebris lumen Euangelij gloriæ Christi irradiare vos cœpit, cōstanti zelo puram salutis doctrinam Ecclesiis vestris conseruastis, modisq; omnibus ne fordib. Papatus denuo inquinaretur, prouidistis. Rē fanè æterna celebratione dignam, quod sectam Iesuiticam

* j.